

ducant, neque puellae educationis causa illarum monasterium ingrediantur; hinc alias anno 1719 fel. rec. Clemens PP. XI. per suas expeditas literas ad preces tunc existentium Monialium dicti monasterii sub certis tunc expressis poenis prohibuit, ne quaecunque persona monasterium huiusmodi ingredi valeret. Cum autem praedictarum literarum dispositio in desuetudinem abiisse nunc dignoscatur, ipsae vero exponentes, ut clausura et monasterii disciplina rigore observetur et earum quieti consultum sit omnisque distractionis praecidatur occasio, opportune a Nobis provideri et indulgeri summopere desiderant.

§. 2. Nos piis exponentium votis annuere volentes memoratas Clementis Praed. nostri literas prohibitionem huiusmodi continentes tenore praesentium confirmamus illisque apost. firmitatis vim et efficaciam adjungimus, ac literas praedictas et in eis contenta quaecunque adversus quemcunque non usum seu desuetudinem et inobservantiam, necnon quemvis abusum et contrarium usum contrariamque observantiam etiam forsitan publicam ac quantolibet tempore tolleratam in integrum et pristinum statum restituimus illasque perpetuo inviolabiliter observari praecipimus et, quatenus opus sit, ne de caetero absque speciali Sedis ap. facultate ulla persona cujusvis status, gradus, aetatis et conditionis monasterium praedictum sub quovis praetextu et causa etiam educationis et expectandi tempus suscipiendi habitum regul., neque quisquam quavis superioritate, officio aut dignitate fungens, ullam personam etiam ex nobili sanguine procreatam, sive conjugatam sive innuptam in monasterium huiusmodi introducere seu ut introducatur permittere audeat sub excomm. latae sententiae ipso facto absque alia declaratione incurrendae poena, a quo

Nemo absolutionis beneficium nisi a Nobis seu rom. Pontifice praeterquam in mortis articulo constitutus, obtinere queat, tenore praesentium prohibemus et interdiciamus.

Romae die 23. Apr. 1773.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 564. Ed. Rom. 1841.)

e) Egressus Monial.

Vd.: *Monial. Claus.* (Observanda etc.).

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatisa et moniales monasterii ordinis Cisterziensis de Arouca nuncupati istius Portugallensis dioecesis, quod ipsae exteriorem suam ecclesiam in aliquo anni dies adornandum altare, ubi exuviae sanctae Maphaldae suae fundatricis et reformatricis illudque visitandum, nec non eandem ecclesiam perpoliendam occasione festivitatis sancti Bernardi fundatoris ac in duos dies feriam quintam majoris hebdomadae praecedentes ad paranda ea, quae pro sacra illius diei functione sunt necessaria, ingredi posse summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur easdem exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem modernis et pro tempore existentibus monialibus aliisque puellis in eodem monasterio degentibus in dies primae et secundae Maii, decimae nonae mensis Augusti ac in duos dies praecedentes feriam quintam majoris hebdomadae pro adornando instruendoque sepulchri Do-

mini Nostri Jesu Christi ecclesiam praefatam *omnibus viris ac mulieribus exclusis* claustrique exterioribus januis et iis tantum ministris ad praemissorum effectum dumtaxat necessariis remanentibus ingredi et egredi possint, pro tuo arbitrio ac conscientia auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.

Datum Romae die 6. Maii 1794.

(Bull. r. Continuat. t. IX. p. 365.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatisa et moniales Conceptionis beatae Mariae virginis immaculae in Campo Martio de Urbe ordinis sancti Benedicti, quod, cum alias in ecclesia dicti monasterii sacrum, ut pie creditur, corpus sancti Gregorii episcopi Nazianzeni per plura saecula asservatum ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus veneraretur ac postmodum de hujus sanctae Sedis licentia ad basilicam Principis Apostolorum de eadem Urbe translatum inibi custodiretur, fel. rec. Benedictus PP. XIV. praedecessor Noster precibus earumdem abbatisae et monialium humiliter sibi porrectis intentus, ut religioni non solum, qua erga easdem sacras exuvias tenebantur, facerent satis, verum etiam, ut septem praescriptas dictae Urbis ecclesias visitare possent, tunc suo ac pro tempore existenti in alma Urbe vicario in spiritualibus generali commisit, ut sub certa tunc expressa forma et modo pro tempore existentibus abbatisae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in eodem monasterio degentibus, ut a primis vesperis unius diei infra octo dies post festum ejusdem sancti Episcopi sive alterius diei pro opportunitate ab abbatisa pro tempore existente designanda e suo monasterio egredi et ad dictam basilicam

ire ac subinde die immediate sequenti ab ortu usque ad occasum solis diei huiusmodi reliquas dictae Urbis ecclesias pro visitatione septem ecclesiarum praescriptas adire et visitare possent, auctoritate apostolica indulgeret, prout in ejusdem Benedicti praedecessoris hisce desuper die XXX. Augusti 1756 expeditis literis uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat, dictae exponentes licentiam ingrediendi bis in anno e dicto moasterio, ut praefertur, a memorato Benedicto praedecessore concessam per Nos ampliari summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut ipsis modernis et pro tempore existentibus abbatisae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in ejusmodi monasterio degentibus licentiam bis in anno egrediendi e dicto monasterio, ut praefertur, a memorato Benedicto praedecessore concessam ad aliam vicem pariter in anno in die mensis Octobris pro opportunitate ab eadem abbatisa designanda, servata tamen in reliquis earumdem Benedicti praedecessoris literarum forma et dispositione, auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.

Datum Romae die 2. Oct. 1795.

(Bull. r. Continuat. t. IX. p. 575.)

Pius PP. VI.

V. Fr. Ep. Cephaludensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo abbatisa seu prio-

fessarii ordinarii et superiorissae, sed de solo consensu spiritualis directoris uniuscujusque monialis, ita ut superiorissae nonnullorum monasteriorum coactae fuerint, ad avertenda frequentia incommoda, non amplius retinere apud se clavem parvae fenestrae, per quam moniales Eucharistiam recipiunt, sed eam relinquere arbitrio monialium communicare volentium. Admonitaque de hac re sacra Congregatione, cum novae datae fuerint literae ad eminentissimum ordinarium, idem respondit, quod computatis diebus, qui a constitutionibus vel a communi consuetudine sunt monialibus praescripti pro sumenda communione, eadem in toto anni decursu vix ab ea abstinent quadraginta aut quinquaginta diebus, et quod in tantum introductum est, quod moniales communicent extra memoratos dies cum solo concilio aut praeecepto directoris spiritualis cujuscunque monialis, et citra consensum aut approbationem fessarii ordinarii, in quantum nonnulli asseruerunt, quod nomine superiorum, de quibus in decreto anni 1679, comprehensi dici debent directores spirituales uniuscujusque monialis, quibus melius quam caeteris innotescit puritas conscientiae, seu fervor spiritus in eodem decreto requisiti pro frequentiori vel quotidiana perceptione SS. Sacramenti, concluditque idem ordinarius, necessariam sibi videri praedicti decreti explicationem, et an etiam tolerandum sit in futurum, quod superiorissae clavem parvae fenestrae, per quam sumitur Eucharistia, non amplius apud se retineant, sed relinquunt arbitrio monialium communicare volentium.

Decretum anni 1679, quando loquitur de laicis negotiatoribus, ait: „quod frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessoriorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, et hoc ipsum statuit

quoad conjugatos. Rursus regulam generalem statuendo meminit parochorum seu confessoriorum, ibi —: „in hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti vel quotidiana sacrae communionis sumptione, unica praeepti formula, aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituentur, sed magis quid singulis permittendum per se aut per parochos seu confessarios sibi decernendum putet“, ubi habetur lib. 30 decret. pag. 265 et seqq., quo stante inferri posse videtur, quod quando idem decretum loquendo de monialibus meminit superiorum: id illis a superioribus permittatur, intelligendum sit, quod frequentior aut quotidiana communio a superioribus monasterii permittatur etiam extra dies statutos a constitutionibus vel communi consuetudine, sed semper retento themate permissionis seu consilii illius personae, cui puritas mentis et fervor spiritus innotescunt, quae alia non videtur esse posse, quam persona fessarii ordinarii, cui cordis secreta sunt aperta.

Haec quoad frequentiore sacrae Eucharistiae sumptionem; quoad clavem vero jam a sacris Congregationibus edita fuerunt super ea re decreta, quod videlicet clavis custodiae SS. Sacramenti non potest monialibus committi, sed esse debet penes sacerdotem, ad quem spectat cura illud administrandi, ut late prosequuntur Pellizar. de monial. cap. 7, qu. 4, Tamburin. de jure abbatiss. disput. 24, quaesito 2, num. 5, Barbosa in collectaneis in verbo „monialis“, num. 27, et loquendo de parva fenestra, per quam recipitur sacra Eucharistia, jam a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium resolutum fuit die 15. Septembris 1617, quod duae adsint januae hujus parvae fenestrae, una interior et alia exterior, et quod clavis januae interioris semper retineatur

ab abbatisa seu priorissa, et clavis januae exterioris a confessario, et quod parva dicta fenestra nunquam aperiatur, nisi occasione sumptionis Eucharistiae vel dandi habitum seu velum alicui novitiae aut consecrationem alicui moniali aut confirmationem alicui personae in clausura degenti.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An et de cujus licentia sacram Eucharistiam recipere debeant moniales, quae eam recipere volunt ultra dies statutos a constitutionibus vel a consuetudine monasterii, ut in illis omnes moniales communicent?

II. Quomodo se gerere debeat superiorissa monasterii circa retentionem clavis parvae fenestrae, per quam sumitur a monialibus Eucharistia in casu?

S. C. C. resp. ad I.: De licentia Confessarii ordinarii et non directorum, praevia participatione Praelati ordinarii;

ad II.: Servandum esse decr. S. C. Ep. et Reg. diei 15. Sept. 1617.

Die 3. Febr. et 14. Apr. 1725.

b) Locus (Fenestra)

Vd.: Monial. (Commun.; Licentia, decr. Januen.)

c) In Nocte Nativ. Dom.

Vd.: Nativitas Dom. (Communio).

6) Confessarius.

a) Extraordinarii Designatio.

Vd.: Confessarius Monialium.

Bened. PP. XIV.

Pastoralis curae Nobis impositae munus hanc, inter alias, sollicitudinem a Nobis exposcit, ut pusillorum animis in afflictione et angustia constitutis opportuna solatia ac remedia afferre

non negligamus, quorum ope interiori conscientiae tranquillitatem recuperare aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam Omnipotenti Deo servitutem alacri et prompta affectione exhibere. Hujusmodi angoribus et afflictionibus confici passim constat religiosas Mulieres in Claustris degentes, quibus certus et unicus Sacramenti Poenitentiae Minister a Monasterii Praelato ad tres ut minimum annos designari solet; cui si aliquando prae pudore vel alia quapiam de causa non omnes conscientiae suae recessus aperire audeant atque ideo Confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis aeternae se ipsas misere conjiciunt. Quod sanè haud rarò evenire, satis Nobis exploratum atque compertum est, tum ex iis, quae in Apostolicae Poenitentiariae Officio tractari vidimus, dum olim in minoribus constituti plurium annorum spatio munus Doctoris in Decretis in eodem Officio sustinimus, tum etiam ex iis, quae in Episcopalis Anconitanae primùm, deindè in Metropolitanae Bononiensis Ecclesiae regimine frequenti usu cognovimus, tum demum ex his, quae saepiùs ad Nos in Petri Cathedra octavum jam annum Dei miseratione residentes deferri contingit, sive ex parte diversarum hujusmodi Monialium, quae animarum suarum angustias paternis oculis Nostris identidem subicere coguntur, sive ex parte Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiarum Antistitum, qui Nobis earumdem Monialium in suis Dioecesibus existentium calamitates ex praeallegata causa ortas aut viva voce aut per Literas non semel representarunt ac super ea re Apostolicae providentiae opem postularunt. Hinc est, quod Nos earum spiritualibus indigentibus per hanc Nostram perpetuò valituram Constitutionem opportunè prospicere volentes, non quidem intendimus consultissimam illam

et veteris disciplinae auctoritate roboratam Legem tollere aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis Monialium Monasteriis unus dumtaxat Confessarius deputetur, qui Sacramentales Confessiones universae earum Communitatis excipiat, neque liceat unicuique Moniali peculiarem Confessarium pro libito sibi deligere, sed hoc dumtaxat Nobis propositum est constituere, ut si quando generalis hujusmodi Legis rigor, in peculiaribus casibus, non sine animarum detrimento aut periculo servari posse videatur, in promptu sint opportuna dispensationis et indulgentiae remedia occurrentibus necessitatibus admovere.

Sanè jam dudum Sanctus Thomas Aquinas Scholarum Princeps Ecclesiaeque Doctor in *Supplemento tertiae Partis quaest. 8. art. 4. ad sextum* sive in *quartum Sententiarum*, ex quo Commentario desumptum est hujusmodi Supplementum, hoc Superioribus monitum dedit, ut Subditis suis, quibus certum et unicum Confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri Sacerdoti; propterea quod multi infirmi et imbecilles animo reperiuntur, qui potius eligerent sine sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa peccata certo alicui Sacerdoti a Superiore designato aperire. Jam verò Sacrosancti Concilii Tridentini Patres hanc legem districtè sanxerunt *sess. 25. cap. 10. de Regular.*, ut Episcopi alique Monasteriorum Praelati subjectis sibi Monialibus Confessarium extraordinarium duabus aut tribus vicibus in singulos annos exhibere debeant, per haec verba: *Praeter ordinarium autem Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo aut aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat.* Quod quidem non alia de causa

praescriptum fuit, quàm quia satis constabat nonnullas aliquando Moniales esse, quae nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum suum ordinario Confessario confiteantur, adeo ut necesse omnino sit alterius Confessarii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis integrè, ritè atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probè animadvertit magnus Ecclesiae Dei Sacerdos Sanctus *Carolus Borromaeus*, qui praedicti Concilii Tridentini absolutionem ope sua plurimum juvit ejusque executionem et observantiam in sua Mediolanensi Civitate et Provincia non sine immensis laboribus et curis invexit. Is enim hac de re decrevit: *Praeterea Superiores ex decreto Sacri Tridentini Concilii quotannis idoneum Confessorem extraordinarium Monialibus sibi subjectis exhibeant, cui curent, ut universae confiteantur, ut quae hujusmodi indigent medicina, propter aliquem occultum animae morbum, neque ipsae eam postulare aut accipere ab usitato Confessore unquam audent, liberiùs mederi suis malis possint ac Diaboli laqueos evadere, una cum reliquis Confessario novo sua peccata confitendo; uti legere est in Actis Ecclesiae Mediolanen. impress. anno 1599 pag. 53, in Editione autem Lugdunensi tom. 1 pag. 46.*

Porrò quicumque Conciliaris Decreti sensus penitus introspexerit, non modò salutarem illius providentiam facile agnoscet sed et circumspectam ejusdem aequitatem mirari debet. Superioribus enim tantummodò injungitur, ut duabus tribusve vicibus infra annum Confessarium extraordinarium Monialibus exhibeant: *bis aut ter in anno offeratur.* Hujusmodi autem Confessarius jubetur earum omnium Confessiones excipere, quotquot eidem confiteri velint: *Qui omnium Confessiones audire debeat.* Neque tamen omnibus

et singulis Monialibus praecipitur, ut peccata sua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in Monasterio degentibus, tam scilicet a Superiorissa caeterisque Monialibus Professis atque Novitiis, quàm a Saecularibus, quae vel educationis causa vel alio titulo in eodem Monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario Confessario singulae se sistant sive ad Sacramentalem Confessionem apud ipsum, si placuerit, peragenda, sive ad salutaria monita etiam extra Sacramentalem Confessionem ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne, si Moniales aliquae extraordinarium Confessarium adirent, aliae autem coram ipso non comparerent, suspensiones atque oblationes excitarentur, et illae quidem conferrentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactae essent, aliae verò ab hujusmodi necessitatibus et causis immunes judicarentur. Quam agendi rationem communi Doctorum calculo comprobata san. mem. Praedecessor Noster Clemens Papa XI. Edicto suo (quod est XV. in secunda parte ipsius Bullarii) inviolabiliter servari mandavit eandemque omnium Dioecesium consuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac in re addendum superest, nisi ut *Venerabiles Fratres Nostros Ecclesiarum Antistites enixè hortemur, ut, quamvis Tridentina Synodus de solis Clausuralibus Monialibus in praemisso decreto loquatur, nihilominus eandem disciplinae formam observent tam cum aliis Monialibus, quae licet Clausurae legibus minimè adstrictae sint, in communitate tamen vivunt, quàm cum aliarum quarumcumque Mulierum aut Puellarum Coetibus seu Conservatoriis, quoties tam illae quàm istae unicum Ordinarium Poenitentiae Ministrum a Superioribus designatum habeant.*

Quaecumque enim circa Moniales in rigorosa clausura viventes cavenda sunt, eadem in aliis quibuscumque Mulieribus sive Regularibus sive Saecularibus in Communitate aut Collegio degentibus locum habere possunt, ideoque pari providentia iisdemque remediis arceri aut emendari debent. Et Nos quidem, quum hanc consuetudinem offerendi Confessarios extraordinarios bis aut ter in anno singulis tam Monialium non clausalium Communitatibus quam piis aliarum Puellarum et Mulierum Coetibus et Communitatibus in Nostra Civitate et Dioecesi Bononiensi induxerimus (qua de re extat Edictum Nostrum n. LVI. inter Pastorales Institutiones Italico primùm sermone a Nobis vulgatas deindeque in Latinum conversas), omnibus testari possumus vel potius debemus, uberem spiritualium utilitatum messem Nos inde evidenter collegisse. Quum verò super relati Conciliaris Textus intelligentia nonnullae quaestiones aliàs excitatae eademque jam pridem per opportuna Sedis Apostolicae decreta definitae fuerint, operae pretium ducimus hujusmodi definitiones ab omnibus, ad quos spectat, omnino tenendas atque servandas, his Nostris Apostolicis Literis complecti et auctoritatis quoque Nostrae robore communitas in praedictorum omnium notitiam deducere.

Et primò quaesitum fuit, ad quem Superiorem pertineat extraordinarium Confessorem Monialibus deputare atque offerre? Sed facilis fuit responsio, quam Nos quoque decreto Nostro ratam habemus; hujusmodi scilicet deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet Confessarii ordinarii electio et deputatio, ideoque Episcopus sive Ordinarius Loci, qui Monialibus sibi subjectis Confessarium ordinarium dare consuevit, idem Confessarium extraordinarium bis aut ter in anno ad normam Tridentinae sanc-

rissa ac sanctimoniales istius monasterii sanctae Catharinae ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis, quod cum monasterium praedictum valde angustum atque altis aedificiis circumclausum sit, ipse pluribus morbis afficiuntur ac praesertim illarum plurimae lenta tabe perimuntur, quod cum physici aëris crassi et gravis, quo illae utuntur, vitio vertant, adeo ut adhuc in vivis agente praedeceessore tuo semel ac iterum ab eo emigraverint, ut hinc aliquod remedium ejusmodi incommodo adhibeatur, e monasterio praedicto pluries in anno egredi posse per Nos sibi concedi summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut quatenus vera sint narrata, ipsis modernis et pro tempore existentibus abbatissae seu priorissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in ejusmodi monasterio degentibus, ut quater in anno, ab abbatisa seu priorissa ejusdem monasterii pariter pro tempore existenti pro opportunitate designandum, ab ortu usque ad occasum solis a dicto monasterio egredi et aliquas ecclesias extra istam civitatem Cephaludensem erectas adire ac visitare possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.

Verum, ut haec omnia rite et ordine et juxta cor Nostrum fiant, eidem fraternitati tuae districte mandamus, ut facultatem et licentiam praedictam non aliter exercere sinas, quam, ut infra praescribimus, nempe ut die per abbatissam seu priorissam praedictam, ut

praefertur, designanda et a te prius approbanda, nonnisi post ortum solis a dicto monasterio ab ordinario confessario et a duobus illius deputatis, quatenus illi existant, associatae egredientur et recto tramite ad constitutas ecclesias extra civitatem, nisi aliquod monasterium clausurae ejusdem civitatis obtenta prius a te licentia, ad praemissum effectum minime denegandum ingrediantur, modeste ac velum etiam ante faciem dimissum deferentes petant, refectionem vere corporalem in aliquo commodiori loco vel extra vel intra portas dictae civitatis sumere possint, ita tamen ut curata per ministros dicti monasterii aut alios quoscumque refectione seu prandio hujusmodi, statim hi e loco assignato exeant et clausis januis villae seu domus, in quo ipsae moniales aliaeque personae praedictae fuerint et clavi per confessarium caute servanda in villa seu domo praedicta, nullus omnino masculus neque ipse confessarius aut deputati minusque agricolae aut domus vel villae custos neque foeminae quaecumque etiam servitio dicti monasterii adscriptae illique inservientes cujusvis status, gradus, conditionis ac dignitatis, nec non monialium et educandarum ac conversarum consanguineae existentes, sub excommunicationis latae sententiae ipso facto etiam per abbatissam seu priorissam ac moniales et alias praedictas, si ad id aliquo et pacto consenserint, incurrenda ac privationis praesentis gratiae remaneant, in eadem villa aut domo, sic, ut praefertur, clausa, commorari, comedere aliaque religiosae relaxationis agere possint, dummodo hora competenti et ante occasum solis intra dicti monasterii clausuram reperiantur. Postquam autem omnia, ut praefertur, praescripta et ordinata ac alia pro arbitrio et prudentia tua praescribenda et ordi-

nanda probaveris, pro prima vice rite, pie ac sine religiosae regularis disciplinae detrimento et sine populi offensione processisse, ita in posterum servanda cures atque praecipias.

Datum Romae die 4. Aug. 1797.
(Bull. r. Continuatio t. X. p. 113.)

Pius PP. VI.

V. Fr. Ep. Reatino.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa ac moniales monasterii s. Luciae ordinis s. Francisci istius civitatis Nostrae Reatinae, quod alias ac novissime per organum Congregationis VV. Fr. N. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum a Nobis obtinuerunt ad triennium, ut pro spirituali illarum consolatione e monasterio praefato ad visitanda quaedam sanctuaria extra moenia ejusdem civitatis sita bis in anno egredi possent. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, indultum praedictum ad triennium, ut praefertur, prorogari obtinuerint, atque ex indulto hujusmodi nullum unquam incommodum ac scandalum exortum sit, ut illud perpetuis futuris temporibus confirmari, immo, ut si ex aliqua intercedente causa uti minime velint, ut pro sanctuariis praedictis ad aliquas ecclesias intra moenia ejusdem civitatis sitas visitandas, pariter bis in anno egredi possint, per Nos eis concedi summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, ut quatenus vera sint narrata, ipsis modernis

et pro tempore existentibus abbatissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in dicto monasterio degentibus, ut bis in anno in diebus ab abbatisa dicti monasterii pariter pro tempore existenti pro opportunitate designandis ab ortu usque ad occasum solis e dicto monasterio egredi atque sanctuaria praedicta extra moenia istius civitatis Nostrae Reatinae adire ac visitare possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas, quod si interdum aliquas ecclesias intra moenia dictae civitatis sitas et a te pro tuo arbitrio et prudentia eligendas pro sanctuariis praedictis visitare maluerint, id pariter abbatissae ac monialibus caeterisque personis praedictis auctoritate Nostra apostolica indulgendi, dummodo tamen bis tantum in singulos annos hoc indulto utantur, plenam et amplam facultatem tribuimus et impertimur.

Reliqua ut in superscripto decreto.
Datum Romae die 3. Oct. 1797.
(Bull. r. Contin. t. X. p. 120.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Ep. Cephaludensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales istius monasterii s. Catharinae ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis, praedecepsorem Nostrum felicis recordationis Pium VI. ad evertendos morbos, quibus ob loci angustias aeremque crassum et concretum, quem ducunt, vexarentur, sibi per literas apostolicas in forma Brevis die 4. Augusti anno 1797 permisisse, ut quater anno e suis septis sui relaxandi causa egrederentur: quod cum salutare sibi admodum senserint medicique adfirmament, praestare omnino, ut crebrius ejusmodi solatio et remedio se recreent ac substentent ac Nostram idcirco benignitatem et clementiam confugere.

Nos igitur ipsas specialioribus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut sub iisdem plane legibus, conditionibus et cautelis in commemoratis decessoris Nostri literis commendatis et praeceptis, licentiam, ubi vera quidem narrata compereris, iisdem abbatissae et monialibus modernis ac pro tempore existentibus, tum novitiis, educandis, puellis et caeteris, quae in ipso monasterio degant, inde exeundi ad quatuor alios anni dies, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, proferas.

Datum Romae die 15. Julii 1800.
(Bull. r. Contin. t. XI. p. 32.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Archiep. Panormitano.

Nuper exponi Nobis fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales monasterii dicti de Gratia, ordinis s. Francisci, civitatis Panormitanae, quo ipsae ob rationes et causas jam alias Sedi huic apostolicae expositas bis ab eadem favorabile impetrarent indultum, cujus vigore ad quinquenium possent quater in anno e sui monasterii claustris egredi et aliquo aëris ac levaminis beneficio frui. Quoniam vero causae et rationes, quarum intuitu praedictum indultum fuit ipsis concessum, adhuc vigent ac permanent, ideo indultum hujusmodi per Nos sibi ampliari atque perpetuari summopere cupiunt, eo vel magis, quod isthic non desunt moniales aliorum monasteriorum, quae simili gaudent indulto perpetuo. Hinc nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate aposolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi vo-

lentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et constituo tibi de narratis, monialibus monasterii praedicti nunc et pro tempore existentibus memoratum indultum egrediendi quatuor tantum vicibus in quolibet anno ac firmis semper manentibus clausulis et conditionibus omnibus in primo indulto injunctis atque expressis, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis in perpetuum amplius atque extendas.

Datum Romae die 15. Novb. 1805.
(Bull. r. Continuat. t. XII. p. 391.)

f) Observanda.

Gerunden.

(Conc. Tr. C. 5. Sess. 25. De Regul.)

In postrema obsidione civitatis Gerundae, cum fere omnia deficerent ad vitae sustentationem, tam Moniales Cistercienses sub jurisdictione Abbatis Cisterciensis, quam Moniales Ordinis Minorum S. Francisci, ipsius Ordinis Superioribus Regularibus subjectae, licentiam ab Episcopo obtinuerunt excedendi a Monasteriis ad formam Bullae S. Pii V., quae vel in patriis laribus vel in aliis commodioribus Coenobiis sese receperunt. At obsidione absoluta Urbeque victualium copia instructa, Moniales ipsae paucis exceptis ad propria Monasteria redire renuunt, causam praetextentes devastationis eorundem bonorum, aëris intemperiei et difficilis accessus ad Civitatem, ac ulterius aegreferunt cogi ab Episcopo ad Clausuram, eo sub obtentu, quod ab ejus jurisdictione habeantur exemptae. Quoniam vero hujusmodi causae nimis, ut perhibetur, videntur futiles, cum Monialibus nihil ad vitae saltem sustentationem in Monasteriis deficiat facilisque sit accessus ad Civitatem, in qua nullae grassantur infirmitates

epidemicae. Hinc Episcopus, priusquam ad censurarum fulminationem et respective declarationem contra ipsas Sanctimoniales procedat, supplex declarari expetit sequentia dubia. Relatis hisce precibus in Congregatione diei 9. Septembris ultimo effluxi rescriptum prodiit, quod causa describeretur in folio; dignabuntur itaque EE. PP., qua solent, sapientia discernere:

I. *An Moniales praedictae in praesenti manentes extra propria Monasteria inciderint in excommunicationem latam in Bulla S. Pii V., saltem postquam extrajudicialiter ab Ordinario fuerint monitae in casu etc.?*

II. *An incurrerint excommunicationem Moniales, etiamsi maneat in aliis Monasteriis ejusdem vel alterius Ordinis in casu etc.?*

III. *An Moniales Regularibus subjectae possint egredi in casibus permissis extra Monasteria absque licentia Ordinarii, etiamsi ipsam habuerint a Superioribus Regularibus, in casu etc.?*

IV. *An praedictis Monialibus suffragetur observantia contra Bullam S. Pii V. et Sac. Concilium Tridentinum, quoad clausurae legem, in casu etc.?*

S. C. C. resp. ad 1: Episcopus cogat juris remediis ad redeundum;

ad 2: Ut ad primum;

ad 3: Negative;

ad 4: Negative.

Die 18. Novb. 1713.

5) Communio.

a) Licentia.

Januen.

(Conc. Tr. C. 6. S. 22. De Sacr. Missae.)

Exhibitus fuit huic sacr. Congregationi supplex libellus, in quo relatum fuit, praxim invaluisse in monasteriis monialium civitatis Januensis tam sub-

jectarum ordinario quam regularibus, ut nulla monialis sacram Eucharistiam sumere valeat extra dies, quibus juxta constitutiones omnes moniales communicant, nisi accedat consensus capituli monasterii, quamvis communio esset petenti permissa aut praescripta a confessario, quae res vergere dicebatur in desolationem nonnullarum piarum animarum, quae frequentiore et aliquando quotidianam Eucharistiae sumptionem ex consilio aut praecepto confessarii desiderant; cumque scriptum fuisset eminensissimo ordinario pro informatione, et idem respondisset, quod in aliquibus monasteriis monialium non poterant singulae moniales etiam cum licentia confessarii sumere sacram synaxim extra dies a constitutionibus vel consuetudine praescriptos, et quod in aliis monasteriis sumptio Eucharistiae extra praedictos dies monialibus permittebatur annuente confessario, sacra haec Congregatio die 12. Februarii 1724 respondit: quod observaretur decretum anni 1697, in quo ab hac sacra Congregatione, accedente approbatione venerabilis Dei servi Innocentii XI. *), sic resolutum fuit die 12. Februarii ejusdem anni quoad frequentem communionem in ordine ad moniales: „*itidem moniales quotidie sacram communionem petentes admonendae erunt, ut diebus earum ordinis instituto praestitutis communicent. Si quae vero puritatis mentis eniteant et favore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur.*“

Delata hujus Decreti notitia ad civitatem Januensem incaeperunt nonnullae moniales sacram sumere Eucharistiam etiam extra dies communitati praefixos absque ulla licentia con-

*) Vd.: *Communio frequens.*